



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XII. Idem in Concilio (a) generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

ferri casu potius ex iustitia, quam ex gratia concessa fuit. Alii tandem affirmant, in præsen-
tiali casu fructus non restitui ob naturam contractus
feudalis, in quo à feudatario pro labore, &
servitio, quod exhibet domino, fructus perci-
piuntur, ut in *cap. 1. de feud.* quæ interpretatio
suadetur ex illis verbis: *Cum fructus illi sufficere
debeant pro labore.* Quæ non sunt intelligenda
de solo labore impenso in cultura; & colligen-
dis fructibus, ut Glossa voluit; sed de labore,
seu servitio, ad quod ex naturâ contractus feuda-
lis tenebatur, ex *cap. 1. §. huius autem, in qui-
bus causis feudum amittatur, in usibus feudor.* Cum
igitur servitia exhiberi non possint sine solici-
tudine, & labore, pro illis fructus villæ feuda-
lis suos facit. Sed hæc interpretatio refellitur
primò ex eo, quia restitutio æqualiter contra
omnes contractus, ex quibus læsio proveniat,
minori, & Ecclesiæ competit, *l. si minor, l. res-
titutio, ff. de minor.* Igitur si ex aliis contracti-
bus res cum fructibus restituitur, ut supra pro-
bavi etiam id admittendum est in læsione, quæ
provenit ex contractu feudali. Secundò, quia
feudi natura non fuit Innocentio III. incogni-
ta, *cap. verum, cap. ex transmissa, de foro compet.*
sed feudi præfatio respectu feudatarii servi-
tium, non verò labor appellatur; igitur cum

Innocentius fructus B. laico remisit propter la-
borem, non sensit de servitio ob feudum im-
pense. Facit etiam textus in *cap. 1. de in inte-
grum restit.* juxta communem interpretationem
quam ibi adduxi. His ergo solutionibus omni-
bus verius dicendum credo, laborum feudatarii
in præsen-
tiali specie non provenire ex natura feudi,
nec consistere in exhibendo servitio, sed in
exoneratione monasterii à debitis contractis;
quare petebat feudatarius contractum non esse
rescindendum, ut constat ex illis verbis: *Non
dignis effectus mancipare.* Ac proinde licet ex
juris principii monasterium fuisset restituendum
ad rem cum fructibus, solutis expensis
feudatarii pro labore in solvendis debitis mo-
nasterii impense; secundùm iustitiæ equalita-
tem, ex dicta *l. fructus 7. l. intra utile 4. §. si-
nal. ff. de minor. l. Julianus 14. §. ex vendito;
ff. de action. empti, l. curavit, C. eod. tit. l. 2. C.
de usuris;* Innocentius III. tamen in præsen-
tiali intendens circuitus evitate, & monasterio resti-
tuendam esse villam decrevit; & B. laico feuda-
tario pro impense labore in solutione debi-
torum monasterii fructus remisit iustus,
non quia feudatarius erat, sed quia constaba-
bat, ipsum à debitis monasterium exone-
rasse.

CAPVT XII.

Idem in Concilio (a) generali.

CUM (b) laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit at-
tributa potestas, quos subsequendi manet necessitas, non autem imperandi,
dolemus in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem, quod immunitatem
ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti Patres, sed etiam Principes sæculares
multis privilegiis muniverunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius
confictionibus impugnare, non solum de alienatione feudorum; ac aliarum pos-
sessionum Ecclesiarum, & usurpatione jurisdictionum, sed etiam de (c) mortua-
riis nec non & aliis, quæ juri spirituali videntur annexa, illicitè præsumendo. Vo-
lentes igitur super his Ecclesiarum indemnitatibus consulere, ac tantis gravaminibus
providere, constitutiones hujusmodi, & venditiones feudorum, seu aliorum
bonorum sine legitimo Ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasio-
ne constitutionis laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio, vel destru-
ctio dici possit, nec non usurpationis jurisdictionis,) sacri approbatione Concilii de-
crevimus non tenere, præsumptoribus per cens. ec. compescendis.

NOTÆ.

1. (a) **Concilio.**] Lateranensi videlicet, celebra-
to sub Innocentio III. ubi *cap. 44. & in
4. collect. sub. hoc tit. cap. unic.* repetitur hic
textus.

2. (b) **Laicis.**] Hæc verba extant in *cap. laici 24.
tit. 9. ult.* cujus prior pars refertur in *cap. 1.*

96. dist. Nec rectè exaudiuntur à Cujacio hic
de laicis religiosis, id est, in monasteriis con-
versis, seu oblati, de quibus egi in *cap. in præ-
sentia, de probat.* Laici enim religiosis in præ-
sentia accipiuntur pro viris catholicis, & reli-
giosis.

(c) **Mortuariis.**] De quibus in *cap. congrega-
tione, de offic. ordin. cap. final. de testam.*